

DISPV TATIO ACADEMICA
DE

SECVLO,

QVAM
DEO ADSISTENTE,
PRÆSIDE

*VIRO PRÆNOBILISSIMO ATQVE EXCELLEN-
TISSIMO*

DAN. GVIL. MOLLERO,
COMITE PALATINO CÆSAREO, ME-
TAPH. ET HISTOR. PROF. P. NEC NON BIBLIO-
THECARIO LONGE CELEBERRIMO, FACVLTATIS
SVÆ H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

*DOMINO PATRONO ET STVDIORVM PRO-
MOTORE SVBMISSA SVBMISSI ANIMI OBSERVANTIA
ÆTERNVM VENERANDO,*


POSITIONIBVS QVIBVSDAM
DEFINITAM

P. P.

JOHANNES HVLDRICVS MAJR,
NORICO-ALTDORFFINVS.

A. M DCCL. D. 29. JAN.

ALTDORFI NORICORVM,
STANNO HENRICI MEYERI, VNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.



Notissimus ille parsimoniae temporis Zelator, S. Bernhardus, discipulos suos ad utilem temporis collocationem adhortaturus, in Sermone ad Scholares: Nemo, ait, vestrum parvi aestimet tempus: sane nihil pretiosius tempore: & heu! nihil hodie eo valius invenitur. Nimirum in tempore nos quoque viventes, non tantum

ignoramus, quid sit tempus, sed & rarius in illud sollicitiore animi contentione inquirentes, occasionem optima quaque agendi e manibus nostris ut plurimum elabi sinimus, quae tamen a quovis prudente ejus aestimatore, in se, rebusque omnibus suis accurate esse observanda: quippe celebratum juxta Pittaci, unius e VII. Graeciae Sapientibus, dictum, γράβι καιρόν, Nosce tempus! h. e. Noveris distinguere, aestimare, & captare rerum gerendarum tempestivitatem, eamque cordi habeto: nihil enim non, suo tempore factum, utile potest esse aut gratum. Quod ipsum mecum itidem perpendens, occasionem, cujus dux & lux est tempus, ex nuper finiti Seculi post C. N. Septimi decimi, & inchoati novi decimi octavi, arripens, cupido incessit animo, de SECVLO quapiam certis thesibus inclusa ad disputandum proponendi: qua extemporanea quidem opella, si pretium temporis par haud positum forte fuerit, saltem jacturam illius suffecerit nonnihil esse resartam.

S. I.

S*Extuplicem Seculare reperire licet Etymologiam: PRIMA est Varronis, a Sene id arceffentis, lib. 5. de ling. lat. verbis hinc: Seculam spatium annorum centum vocarunt: dictum a Sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt. ALTERA est Isidori a sequendo deducentis: ita enim is Orig. lib. cap. 38. Secula generationibus constant: & inde Secula, quod se sequantur. Ab eumibus enim aliis, alia succedunt. TERTIA est Adriani Turnebi, ab ἡλικία repetentis: censet enim*



chim is *Advers. lib. 26. cap. 13.* seculum ab ἡλικία deduci, ut nempe aspiratio in sibilum desciscat, quemadmodum alias sæpe: λ autem & κ invicem transponantur sedibus mutatis. Ac pro hac sententia idem esse putat, quod *Lucretius de rer. nat. lib. 5.* dicat *Lanigeras simul pecudes, & buccera secla*, *Ochsenheerd* / oder *Art. & l. 3.* *desperant homines, sapient fera secla ferarum* *Wildthier Heerd* oder *Art.* *Seculum* enim hic pro genere seu sobole accipi, haud fecus ac Græcis ἡλικία non *Ætatem* solum notat, sed etiam *Genus*: uti cum *Hesychius* ait; ζῳικία esse ἡλικίαν ἐλάφω ἢ δορκίδος, i. e. *hinnulum esse genus at sobolem cervi aut capræ.* QUARTA est *Jan. Melleri Palmerii à secando* derivantis; sic quippe is in *Spicilegiis suis: Secere est secare, & secare pro sequi.* Sic *Virg. Æn. l. 10.* Quæ quique est fortuna hodie, quam quisque *secat* spem, i. e. *sequitur.* Porro hinc insectio nes, sectores, sectio: *sed & hinc seculum, & secundus, & lecta.* QUINTA est *Francisci Junii*, illud in *not. ad Tertull. de Pallio*, componentis ex se h. e. seorsim, & colo h. e. dego, uti in *secubo.* SEXTA est *Jo. Amos. Comenii in Lexic. Janual.* ab Ebræo סבב h. e. *Seculum*, natales illius derivandos esse statuentis. Ex quibus adeo variantibus sententiis duas ἀναλογίαι defendi posse *Vossius in Etymologic. LL. fol. 460.* autumavit: nempe ut *seculum* vel à *seco* sit, vel à *sequor.* Nam similia sunt, ait *Vossius h. l. signaculum, curriculum, periculum, perpendicularum, amiculum*, multa que alia, in quibus duæ postrema syllabæ sunt vocis productio. Ac inprimis quidem à *sequendo* (cui idem pergit,) dici placet, cum *seculum* nihil aliud sit, quam annorum multorum series ac sequela. Nec obstat, quod *sequor* per Q scribatur, *seculum* per C. nam veteres, ut *coco* & *coquo*, *locor* & *loquor* scribebant, sic *secor* & *sequor.* Majoris paulo momenti est, quod in vet. libris monumentisque *seculum* per Æ scribi solet; tamen nec hoc movere debet, quando ea scribendi ratio perpetua non est. Sane cum alias interdum, tum in argenteo Othonis nummo per E simplex invenitur. Sculptores vero & Librarios, quod sæpius per Æ scripserint, movisse id videtur, quod prima esset longa: facilis enim errandi fuisset occasio, cum prima in *sequor* sit brevis. Nec mirandum, quod dispar sit quantitas in *sequor.* Nam *seculum*, inquit *Vossio d. l.* contractum ex *secuculum*, haud aliter ac ex *fericulum* fit *ferculum.* Quippe ut à *noto*, *signo*, *veho*, *perpendo*, mutatâ ultimâ vocali in A vel I, fit *notaculum*, *signaculum*, *vehiculum*

biculum, perpendicularum, sic à *fero* esset *fericulum*, unde *ferculum*: à *sequor* seu *sequo*, esset *sequiculum*, ex quo *seculum.* Quod igitur in syllabarum numero amittitur, id compensatur in tempore. Mihi posthabitis omnibus recensitis hactenus originationibus, videtur eam Græciæ ascribendam, atque ex ἐκατόν i. e. *centum* eliciendam esse; ita quidem, ut primo ex duabus syllabis ἐκα fiat *Secu*, ad formam ἐκας, unde *secus*, ceteri *Vossius* retur in *Tract. de Literat. permutat. conf. Casaubon. in Sueton. Tiber. cap. II.* deinde ex τὸν fiat *lum*, ceu ex θῆλας *Thelis* factum esse constat, T in L. abeunte, sicque ex ἐκατόν fiat *seculum.*

II.

An per simplex E, vel per diphthongum Æ, vox *Seculi* scribenda sit, in questionem à quibusdam vocari scio. Enim vero utriusque scriptiois exemplis veterum in monumentis occurrentibus, dubium est, quæ alteri sit præferenda: quin tamen scriptio illius per simplex E, retinenda sit, causæ nihil subesse video, præsertim si Autorum ea utentium pluralitate expensâ, derivatio etiam illa ultima, unâ cum reliquis omnibus aliis etymologiis, sola ebræa excepta, ad animum revocetur. Non me quidem latet, obverti posse, diphthongum vel ideo esse adhibendam, ut productio syllabæ in primitiva alias voce correptæ innuatur: verum ad innuendum id opus haud est diphthongo, usu quippe receptissimum est, voces derivatas, à suorum primitivorum quantitate degenerare, atque sæpe produci illas hisce brevibus existentibus, neque tamen diphthongum iis eapropter adscribi. Quid quod *Phlegon Trallianus in lib. 1. c. 2.* *ἡρωμασίον*, sine diphthongo eandem quoque vocem græce scripsit, dum ludos in oraculo quodam Sibyllæ commemoratos, à Romanis *secularis* vocari, verbis expressit hisce: *ἡρωμασίον ἡρώμασιον.* *Zosimus* etiam vocem *seculo* græce exprimens *hætor. lib. 2. c. 2.* *σέκλα* *σορ*, inquit, *τὸν αἰῶνα κέκλεον.* At verò dicat aliquis *Dionem hist. Rom. lib. 54* græce *σικκλάρα* scripsisse, hincque *seculum* per diphthong. esse scribendum: quasi vero ab autoritate ejus orthographia dependeat, & non potius certum sit, eum genuinam vocabuli hujus scripturam neglexisse, atque pro lubitu in græcū transtulisse. Neque ex numis, marmoribus ac inscriptionibus antiquis quidpiam confici heic posse arbitror, præterquam enim quod utraque *seculi* scriptura in iisdem occurrit, profectò incitiæ quoque

ac ignorantiae sculptorum atq; librariorum perperam ejusmodi scripta adjudicanda esse, versatissimi in hisce rebus viri jam dudum demonstrarunt.

III.

Vox *Seculum*, præter significationes apud *Romanos Scriptores* obvias, *Biblicas* etiam atque *Patristicas* sustinet quamplurimas, de quibus videri queunt *Fabricius Paduanus* in catena *Temporis*, *Damasceus de O. F. lib. 2. c. 1.* & in caput hocce *Jodoc. Oblichroevus*, *Job. Langius* in *Polyanth.* *Antonius Ricciardus* in *Commentar. Symbolic.* *Matthias Martinus* in *Lexic. Philolog. Voss. in Etymolog. LL. Andr. Reyherus* in *Lexic. Latino-Germ. Laur. Beyerlinck*, in *Theatr. Vit. Hum.* Nimirum apud *Romanos Scriptores* accipitur *Seculum*, nunc latiore in significato, pro *longo tempore*, & præsertim pro *hominis aetate*: Sic *Cic. de Fato*: Sexcentis seculis ante dictum. Et *de Orat.* *Seculis* multis ante *Gymnasia* inventa. Et in *Verr.* Aliquot seculis post *Scipio Carthaginem* cepit. *Scriblius* autem sumtum, pro constituto & definito aliquo annorum numero usurpatur. Taceo jam alias hisdem *Scriptoribus* familiares *Seculi* acceptiones.

IV.

Biblicam æque ac *Patristicum* *Seculi* sensum quod attinet, sumitur id vel proprie, vel improprie. Et quidem proprie sumtum, temporis spatium designat, quo sensu (1) ante seculum, vel seculum vel tempora secularia, est idem ac, antequam tempora intiperent, i. e. ante mundum ab æterno conditum, (2) per consummationem seculorum intelligitur tempus quo *Christus* venit in mundum, atque adeo *finis seculorum* appellantur ultima tempora ab exhibitio *Christo* ad finem usque mundi, (3) *Secula quæ* ante nos, i. e. tempora præterita, (4) *Secula supervenientia*, i. e. tempora futura, sibi invicem successura in finem usque mundi. Improprie sumtum seculum indicat *durationem vitæ*, atque adeo *Seculum* designat (1) *perpetuitatem* hinc res seculi, appellatur res in perpetuum duratura, sive notat *infinitum temporis spatium*, nempe *æternitatem*, tum *absolute* consideratam, h. e. principio & fine carentem, tum *relative* intellectam, h. e. principio quidem constantem, sed fine destitutam. (2) *longam temporis continuationem*, quæ continuationis temporis est tum præteriti, tum futuri, tum præteriti & futuri simul: & quidem præteriti, quando seculum sumitur vel pro tempore quod jam inde à crea-

à creatione fluxit, vel simpliciter pro eo, quod jam à longo tempore fuit, sicque à seculo, sive, inde à seculo, est idem ac olim, à prisca temporibus, vel prisco illo seculo ante diluvium; sic etiam *Res Seculi* vocantur *res prisca & vetusta*, nempe *gens seculi*, i. e. antiquissima, quæ jam olim floruit: *Mortui seculi*, i. e. ii, qui jam olim, seu, jam pridem mortui sunt: Deinde *futuri temporis continuatio ac duratio* est, quando seculum accipitur, vel pro toto tempore usque ad finem mundi, vel pro tempore in omnem posteritatem, vel pro tempore usque ad adventum *Messia*, vel pro tempore usque ad annum *jobeleum*, vel pro tempore durationi functionis alicujus publicæ constituto, uti *1. Samuel. cap. 1. v. 22.* manere usque in seculum, i. e. *quandiu durat tempus ministerio Levitarum assignatum*, vel pro tempore usque ad finem vitæ, sicque *Tranquilli Seculi* dicuntur ii, qui per totam vitam magna prosperitate fruuntur, vel simpliciter, pro tempore longissimo. *Præteriti autem & futuri temporis simul* duratio est, quando dicitur, inde à seculo usque in seculum, i. e. sicut olim, ita etiam deinceps. Improprie quoque seculum sumitur pro *vita tum præsentis, tum altera illa*: itemque pro *adjunctis vitæ*, tum præsentis, tum futuræ: præterea pro *mundo*, seu, machina mundi, quæ cælo, terra, aliisque rebus constat, nec non pro *hominibus mundanis*, i. e. pro *hominibus præsentis vitæ addictis & futuræ contemtoribus*. Denique pro *rebus mundanis*, ac insuper pro *depravatis ac profanis hominum moribus*, uti *Ephes. c. 2. v. 2.* ambulastis secundum seculum mundi hujus. Quos & alios seculi significatus videtis expositos in *Petr. Ravennelli Bibliorb. S. part. 2. à fol. 1020. ad fol. 1022.*

V.

Hisce jam adductis seculi significationibus subijcere ea placet, quæ in Anonymi cujusdam antiqui *Dictionario* mutilo, seu ad ulteriorem *Homonymiæ seculi* facientia illustrationem, & quidem in parte ejus tertia, proposita sunt verbis hisce seqq. *Seculum* quandoque accipitur pro *mensura temporis*, sive, pro centum annis, sic accipit *Ovidius*. Aliquando pro *statu hominum peccatorum*. Aliquando pro *statu hominum beatorum & temporum futurorum*. Possunt notare, quod in *Scriptura* invenitur. *Seculum transitorium & desectibile: Insectorium & insectibile: Permanforium & Insnibile. Seculum Transitorium* signat hujus vitæ labilitatem; seculum etiam istud, i. e.

i. e. præfens vita semper labitur & defluit, & finaliter deficit atque perit. *Matth. 24.* Quod signum adventus tui & consummationis seculi. Seculum ergo est transitorium. *Seculum Insectorium* signat statum mundi iniquitatem, de quo *Rom. 12.* Nolite conformari huic seculo nequam. *Seculum permansorium* signat æternitatem, de quo *Esai 26.* Sperastis in Domino in seculis æternis: Et istud est seculum futurum, quod est perpetuum & æternum. In isto enim futuro seculo est *Amor Charitatis, Honor Dignitatis, Splendor Veritatis, Status qui non labitur, Vita qua non moritur, Virtus qui non minuitur.* Est, dico, ibi *Amor Charitatis,* & hoc apparet, quia Ibi est Deus, qui est Pater omnium: Paternitas autem est nomen amoris & charitatis, *Esai 9.* Pater futuri seculi, princeps pacis. *Iam* ibi est *Honor Dignitatis,* quia summus Deus est ibi Rex: Unde *1. Timoth. 1.* Regi autem seculorum immortalis, invisibili honor & gloria. *Item* ibi est *Splendor Veritatis. Sap. 18.* Incipiebat incorruptum nomen legis seculo dari. *Item,* ibi est *Status qui non labitur; Eccles. 40.* Fides autem in seculum stabit. *Item,* ibi est *Virtus qui non moritur, Luca 18.* Habebitis in futuro seculo vitam æternam. *Item,* ibi est *Abundantia, qua non minuitur,* unde *Eph. 2.* uocaretur in seculis supervenientibus abundantes gratias divitiarum suarum. Ita ergo de Seculo sufficiant, quia satis supra dictum est de Mundo. *Istud tantum adverte,* quod ubicunque dicitur à seculo, semper sumitur ab æterno: Et similiter de secula seculorum signat æternitatem temporum futurorum. Unde breviter istud est verum, quod à seculo significat æternitatem præteritam à parte ante: *Secula seculorum vero* signat æternitatem futuram à parte post. Ceterum quæ in omnibus hisce significationibus, & aliàs etiam circa seculi homonymiam, vel obelo notanda, vel asterisco probanda forent, hac vice non attendens, potissimam hodieque usitatissimam fore istius significationem esse arbitror spatium temporis centum annorum.

VI.

Vicarias *Seculi* ita sumti voces in quavis facile reperire licet lingua: nempe in *Hebr.* מאה שנה i. e. centum anni: *Græc.* ἑκατόμητος *Hispan.* Siglo, sive, ciento annos: *Ital.* Sécolo: *Gall.* Siecle: *Hungar.* száz esztendő i. e. centum anni: *Bohem.* Sto roky i. e. centum anni: *Ger.* eine hundert jährige Zeit: ein Jahr hundert: *Anglic.* the space of an hundred yeares: *Belg.* een tyd van 100. yearen.

VII. A

VII.

A *Seculo* descendit *adjectiv.* hic & hæc *Secularis* atque hoc *Seculare:* quod, uti *Seculum*, nunc significationem *Hundertjährig* / nunc *Weltlich* obtinet: hinc *Seculares Ludi* apud Romanos, i. e. Ludi centesimo quoque anno instituti, & *Secularis Eruditio* apud *Augustinum* aliosque Autores, i. e. mundialis, profana & liberalis scientia.

VIII.

Uti à *Græcis* *Seculum* exprimi nonnunquam solet per ἄϊων, ἄϊωνος ita eadem etiam voce *Ævum, Æviterinitatem,* sive *Æternitatem,* die *Ewigkeit* / insigniri, est notissimum. Quando igitur *Marc. 3. v. 29.* legitur: Ὁς δ' ἂν βλασφημήσῃ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, ultimæ voces minùs recte per *in seculum* exprimuntur, sed per *in æternum* reddendæ sunt, quod etiam *Lutherus* in versione sua germanica probe observans, eas interpretatus est, *Ewiglich* / conf. *Job. 4. v. 14. & cap. 14. v. 16. & Hebr. c. 5. v. 6.* in *Ewigkeit.* Alibi autem, nempe *1. Cor. c. 8. v. 13.* in earundem versione vocem *Nimmermehr* adhibuit. Ceterum *Hebraismus* est, quando *Hebr. c. 13. v. 21.* extat εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰῶνων, quæ à *Theod. Beza* in *secula seculorum* exposita sunt, à *Luthero,* von *Ewigkeit zu Ewigkeit.* Conf. *1. Petr. c. 4. v. 11. Gal. c. 1. v. 5. Ephes. c. 3. v. 21. h. e. in omnem æternitatem, in infinitum temporis spatium.*

IX.

Vocabula *Seculum* & *Seculare,* si pro *Mundo,* proque eo, quod *Mundi* est, usurpentur, & ipsa, iudice *Jo. Vorstio de Latin. suspect. cap. 14. in Hebraismis habenda* sunt. Nimirum, *Scriptores Ecclesiastici,* qui trecentis aut amplius annis post *N. C.* vixerunt, non raro *seculum* pro *mundo,* & *seculare* pro *mundano* posuerunt. *Hilarius lib. 8. de Trinit. Non est humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendum.* Eo antiquior *Tertullianus lib. 1. ad uxor. cap. 5.* ait, *seculo eximi & ad Dominum recipi.* *Item lib. de spectac. cap. 28. exire de seculo, & recipi ad Dominum.* *Sulpicius quoque Severus* isto vocabuli usu non abstinit: ut *Histor. Sacr. lib. 1. c. 4. vacuatum seculo ex filiis Noë Sem fuit.* Idem & vocem *Seculare* usurpat pro eo, quod & *mundiale* dicit. *Mundiales historicos* vocat ille, qui res ad mundum pertinentes tractant: ita enim *isl. 2. c. 14. sub Ocho Baguam* fuisse *mundiales historici*

B

rici

rici prodiderunt. Quos eosdem & *seculares* dicere idem non dubitat: nam *ibidem* inquit: *Ut in secularibus quibusdam scriptis legi.* Et paulo post: *Ceterum illud nemini mirum esse oportebit, quod Scriptores secularium literarum, nihil ex his qua sacris voluminibus scripta sunt, attigerunt.* Sed & *Cypriano, Hieronymo, Augustino*, iste vocabulorum usus frequentissimus est. *Cyprianus epist. 63.* Ebrietas Domini calicis & sanguinis non est talis, qualis ebrietas *vini secularis.* *Hieronymus epist. 57.* Tota *secularium literarum* schola nihil aliud *ἑσθησίων* quam *δαίμων* novit. *Augustinus de C. D. lib. 6. c. 11.* In omni eruditione, quam nos *secularem*, illi *liberalem* vocant, studiorum. *Seculum* igitur, inquit *Car. du Fresne in Glossar. voc. Saculum*, Monachis præsertim, dictum, quidquid extra claustrum: quia qui vitam monasticam amplectuntur, mori seculo dicuntur. *S. Cyprianus epist. 7.* *Seculo renuntiaveramus*, cum baptizati fumus: sed nunc *vere renuntiaveramus seculo*, quando tentati & probati à Deo, nostra omnia, relinquentes, &c. vid. plura huc facientia apud *Fresne cit. loc.* Egregia autem sunt, quæ *Joh. Saresberiensis in Policratic. lib. 7. cap. 23.* verbis proposuit hæc: Hæc etiam ignavi, ex necessitate tamen, faciunt Cœnobitæ: nam in eo à studiosis differunt, quod illi ex dilectione exercent ea, ad quæ isti stimulo necessitatis urgentur, & sæpe inviti. Sunt tamen in habitu communi, quos *Seculares* non audeo nominare, cum *nihil seculare sit dicendum in talibus*, nisi quod *seculo nequam* amoris foederantur affectu. Sicut enim præputium nihil est, & circumcisio nihil, sed observatio mandatorum Dei: sic, ut Religiosorum pace dicam, Monachatus nihil est, & Canonicatus nihil, mandatorum observatione deducta. Hæc igitur tandem profunt, si quis legem observet. Si vero sine his quispiam observat legem, *cum nequaquam dixerim secularem.* Veruntamen geramus morem religiosi, *sint Seculares interim, quos vestis pulla ab aliis non discernit.* Nulla enim *jactura nominis, nisi secularis sit & vita.* Indignantur aliqui, quod de Religiosis ego *habitu secularis*, & conversatione peccator, ista pronuncio, & dum commendo cœnobitas, me aliis detrudere criminantur. Sed autor mihi est *Hieronymus*, quod vestis nequaquam religionis differentiam faciat, sed in omni habitu, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Hæc & plura alia *Saresber. d. l.*

X. Quam

X.

Quam quidem ob causam *Pictura* olim, omnidomino adhuc in Papatu circumferebatur, singularem scilicet præ cunctis aliis mortalibus Religiosorum perfectionem adumbrans, quæ tamen luce Lutherana ipsas Ecclesiæ tenebras dispellente, sensim evanuit, atque haud amplius Pictorum Chalcographorumque operas efflagitat. Eam autem *Hieronymus Wellerus in libell. de Officio Ecclesiastico, Polit. & Oecon. in præfat.* expressit h. m. Quædam vitæ genera excogitata sunt ab hominibus, qualia fere fuerunt omnes illi Religiosi Ordines, florente Regno Pontificio, quos olim vulgo *Status Perfectionis* vocabant, eò, quod hi, qui in illis vivebant, essent perfectiores ceteris mortalibus, quippe qui non modo se ipsos, sed alios quoque salvos facere possent. *Hinc illa Pictura, ubi Reges, Principes, & omnium Politicorum & Oeconomicorum Ordinum homines*, quos Pontificia illa Factio *Seculares* nominabat, in immenso & procelloso mari natabant, unde non poterant emergere. Ipse vero *Papa, & sui Cardinales, Episcopi, & totus ille Pontificiorum grex in amplissima Navi vehebantur*, securi ac læti, unde fluctuantibus Laicis manum porrigebant, eosque ad se in Navem recipiebant. Hac pittura homines imperitos admonere volebant, in quam periculoso vitæ genere seu statu essent omnes, qui non in hac Navi veherentur, h. e. qui non aliquem Religiosum Ordinem essent ingressi. Quæ ipsa Navis in memoriam mihi revocat *Naves* illas famosissimas *Brandii atq; Kaiserspergii*, de quibus autem tanquam à præsentis instituto longe alienis, (iudice licet *Bartholdo Nibufio Apologetic. pro Arte Nova contra Andabat. Helmsted. in scholio circa fin.* piis illis mereque spiritualibus libris, omnis generis homines in mundo instruentibus monitis ac documentis,) citatus *Nibufius* loco poterit consuli citato.

XI.

Sciscitanti forte alicui causam, ob quam vox *Seculum* Cicero- ni ejusque æqualibus *Tempus* significans, à Scriptoribus Ecclesiasticis pro *mundo*, magno illo rerum creatarum systemate fuerit accepta? Non alia certe, quam hæc ex *Vorsio d. l.* desumpta dari potest: quod nempe Interpretes Latini Novi Test. cum vocem *αἰών* vertendam haberent, voce *seculum* eam verterint, atque ita novam huic significationem tribuerint, quam quidem & ipsius græ-

B 2

cæ

cæ vocis esse videbant. Etsi autem Interpres Novi Test. fortasse non nisi ad vocem græcam αἰὼν allusit, & Scriptores item Ecclesiastici, quoties *seculum* pro *mundo* posuerunt, de voce Hebræa vix cogitarunt, tamen quia ipsi Scriptores N. Testam. græcæ voci αἰὼν propter Hebræam סֵבַי, novam significationem imposuerunt, factum est, ut eadem significatio *mundi* porro & latinæ voci *seculum* imponeretur.

XII.

A *Seculo* etiam derivatur *Secularitas*, *Seculatus*, *Secularisare*, *Secularisatus*, *Secularisatio*, in se quidem barbara, usu tamen apud Scriptores quosdam recepta vocabula. *Secularitas* enim, teste *Frasne* in *Glossar.* apud *Orderic. Vitalem lib. 4. pag. 518.* reperitur: *Parum à secularitate conversatio Monachorum differabat.* Et *Seculatus* apud *Anonym.* de revelatione reliquiar. S. Genovesæ n. 6. *Revelata est mense Januario 10. mensis in octavis ejusdem sanctissimæ virginis, & à fratribus est dulciter Deo seculata.* Id est forte, in *seculum* protracta, seu è sepulchro in apertum elata, seu inter hymnos & preces secula seculorum in fine habentes Deo consecrata. Deniq; *Secularisare* &c. voces sunt apud Juris Publici Scriptores obviæ, quando de rerum ecclesiasticarum in profanum usum translatione sermo ab iisdem instituitur.

XIII.

Seculum inter & *Seculam* instrumentum illud ferreum ad refecanda gramina & alia id generis adhiberi à messoribus solitum differentia, licet ex lit. *u.* & *a.* resultans sit valde notabilis, quia tamen hæ ipsæ literæ, errore haud raro typhetarum, facile inter se permutantur, ad structuram potius vocum, integrumque contextum, quam ad solius vocalis disparitatem respiciendum esse arbitror. Similiter confusio ex *Secula* temporis nota plurali, & *Secula* instrumenti messorii nota singulari forsitan orituræ, fatius credo fuerit ex diligenter inspecto universæ orationis habitu, quam ex una scriptionis & e diversitate, remedium applicare.

XIV.

Quomodo *Seculum* pro tempore sumtum definiendum sit, nondum apud Autores video esse constitutum: prout enim unicuique eorum spatium illius vel ad plures annos extendere, vel in pauciores contrahere, vel prorsus indefinite id sumere collibitum fuerit, eatenus etiam nunc hæc, nunc alia sese exeret definitio: *Censorinus*

rinus de die natali cap. 5. ait: *Seculum* quid sit, usq; adhuc arbitrator ad subtile examinatum non esse. *Tertullianus tamen in Apologet. cap. 26.* *seculum* definivit h. m. *Videte, ne ille qui regna dispensat, cujus est, & orbis qui regnatur, & homo ipse qui regnat; ne ille vices dominationum ipsis temporibus in seculo ordinavit, qui ante omne tempus fuit, & Seculum corpus temporum fecit.* *Seculum* nempe *corpus temporum* dicitur, pro multis temporis partibus, quomodo multi libri Juris in unum volumen collecti, & multæ leges multorum Autorum vocantur *Corpus Juris Civilis*: quomodo etiam dici potest *dies* corpus horarum, *Hebdomas* corpus septem dierum, *Mensis* quatuor hebdomadam, *Annus* corpus XII. mensium.

XV.

Dividitur *seculum* à *Censorino d. l. bisariam*, in *naturale & civile*: Et quidem *naturale* ipsi est spatium vite humane, partu & morte definitum: qua allata definitione, idem ille refellit eorum sententiam, qui *seculum* cum *zævæ* confundebant, additque, ad sua usq; tempora solcite non fuisse indagatum, quid *seculum* esset *naturale*: quod probat ex eo, quod *Poëtæ*, *Hesiodus* & *Ovidius*, nec non *Historici græci*, quamvis eos à vero par non fuerit recedere, multa tamen de seculo illo *naturali* incredibilia scripserint. Inq; testimonium advocat *Herodotum*, apud quem legi ait, *Agamemnonium Tartessiorum Regem CL. annorum fuisse, cujus verè nullum ibi reperire licet vestigium, utut negari haud queat, Ciceronem & Valerium, Plinium, Aufonium & alios, ejusdem, tanquam hominis longævi meminisse.* Citat insuper *Ephorum*, qui tradat, *Arcades* dicere, *Reges aliquot antiquos apud se vitam ad trecentos usq; annos produxisse, additque, se hæc, ut fabulosa, præterire.* Deinde ad *Astrologos* progreditur, inter quos pariter de naturali seculo haud convenire ostendit, *Epigene* puta *CXII. annis* longissimam vitam includente, *Beroso* *CVI. aliis ad CXX. annos* eandem produci posse opinantibus, quibusdam etiam ultra hos annos illam extendentibus. Præterea fuisse quosdam, ait, putantes, non idem ubique *naturale seculum* observari, sed varie per diversas regiones, prout in singulis sit *coeli ad circulum finitorem inclinatio*, quod *κλίμα* solet appellari. Denique concludit, veritatem quidem *naturalium seculorum* in obscuro latere, attamen in unaquaq; civitate quæ sint *naturalia secula*, rituales *Etruscorum libros* videri

docere, in quibus quippe scriptum esse fertur, initia sic poni seculorum: Quo die urbes atque civitates constituerentur, de his, qui eo die nati essent, eum, qui diutissime vixisset, die mortis suæ, primi seculi modulum finire; eoque die, qui essent reliqui in civitate, de his rursus, ejus mortem, qui quam longissimam egisset ætatem, finem esse seculi secundi, atque sic deinceps tempus reliquorum seculorum terminari. Sed ea quod ignorarent homines, portenta mitti divinitus, quibus ii admonerentur, unumquodque seculum esse finitum. Hæc portenta, eodem *Censorino* inquirente, Etrusci, pro haruspicii, disciplinæq; suæ peritia, diligenter observata, in libros suos retulerunt. Quare in *Tusciis Historiis*, quæ octavo eorum seculo scriptæ sunt, (ut *Varro* testatur,) & quot numero secula ei genti data sint, & transactorum seculorum singula quanta fuerint, quibusve ostentis eorum exitus designati sint, continetur: Itaque scriptum est, *quatuor prima secula* annorum fuisse *CV. quintum CXXIII. sextum CXIX. septimum* totidem, *octavum* tum demum agi; *nonum & decimum* superesse, quibus transactis, finem fore nominis Etrusci.

XVI.

Civile seculum cur *Censorinus* non definiaverit, dicere nequeo, de numero tamen annorum, ex quibus id componitur, sollicitus, civile, ait, Romanorum seculum *annis* transigi *centum*, quam suam sententiam probaturus, inquit: Nostri majores, quod naturale seculum quantum esset, exploratum non habebant, ad certum annorum modulum annorum C. statuere, testis est *Piso*, in cujus *Annali septimo* sic scriptum est: *A Roma condita Anno DVII. seculum accipit his consulibus, qui proximi sunt Consules, M. Æmilius, M. F. Lepidus, C. Popilius. II. absens.* Aliàs vero si *Civile seculum* definiendum foret, cum *Petr. Tassino de Anno seculari*, fieri posset h. m. *seculum civile est certa plurium annorum compages, non rei natura, sed ipso hominum, civitatis cujuspiam arbitrata, coalescens.* Unde *Civile Civitatis Romana seculum* fuit tempus, quod civium Romanorum voluntate fuit constitutum, ut eo nomine significaretur. Quantum mihi videtur: *Civile seculum* est complexus certi annorum numeri, consensu omnium in una eademque regione civitatum, introductus, ad commodiorem & accuratiorem temporis in rebus tractandis partitionem, observationem, applicationem & enunciationem.

XVII.

De numero annorum, quos *seculum Civile* continuerit, duplex apud Autores invenitur *sententia*: *Nonnulli* enim arbitrantur id CX. annos comprehendisse, inducti tum *Commentariis XV virorum, tum* edictis *Octavii Augusti, tum* Horatiano carmine seculari, tum oraculis Sibyllinis: Sed XV virorum quod auctoritatem attinet, ea sane est vanissima; quippe qui negligentiam suam in observatione ludorum secularium commissam occultaturi, *Octavio Aug. de eorum celebratione forte querenti* persuaferunt, ad seculum ejusmodi requiri CX. annos, atque nunc plane legitimum eorum edendorum annum appetiisse: quo responso Imperator Augustus deceptus, *centum & decem annos* quolibet inter ludos seculares interponendos esse credens, in edictis etiam suis commentitium illum annorum numerum expressit, quorum deinceps anteambulonum vestigia legens *Horatius*, non potuit non sequentem in carmine seculari stropham modulari:

*Certus undenos decies per annos
Orbis, ut cantus referatq; ludos,
Ter die claro, totidemque grata
Nocte frequentes.*

Neque aliud de *Oraculis* pronunciandum erit *Sibyllinis*; ea enim XV virorum custodia commissa, facile corruptioni obnoxia esse poterunt, ad majorem scilicet sententiæ semel jam apud Augustum prolata confirmationem: quamvis juxta quasdam eorum editiones, non tam CX. quam C. annorum spatium dicatur comparere.

XVIII.

Alii Autores de seculi spatio mentem suam exposituri, *centum* id duntaxat *annis* absolvi autumant, Scriptorum id itatuentium auctoritate nixi vetustissimorum: cæu quidem ex *Censorino* id patet, quando tradidit seqq. Romanorum secula quidam ludis secularibus putant distingui: cui rei fides si certa est, modus Romani seculi est incertus: temporum enim intervalla, quibus ludi isti debeant referri, non modo quanta fuerint retro, ignoratur, sed nè quidem, quanta esse debeant, scituri: nam ita institutum esse, *centesimo quoq; anno* fierent, id tum *Antias*, aliiq; Historici Autores sunt, tum *Varro de scenicis originibus lib. 1.* ita scriptum reliquit: Cum multa portenta

fierent, & murus, & turris, quæ sunt inter portam Collinam & Esquilinam, de coelo essent tacta, & ideo *Libros Sibyllinos Decemviri* adissent, renunciaverunt, uti Diti Patri & Proserpinæ Ludi Terentini in Campo Martio fierent tribus noctibus, & hostiæ furvæ immolarentur, utique Ludi *centesimo quoque anno* fierent. Item *T. Livius lib. 1. 36.* Eodem anno ludos Seculares Cæsar ingenti apparatu fecit, quos *centesimo quoque anno* (is enim terminus seculi) fieri mos. Ut taceam, ipsum quoque *Censorinum cit. loc.* ad eandem accedere sententiam, dum ait: Quoniam igitur Civile Romanorum Seculum *centum annis* transigitur, scire licet in X. seculo & primum Natalem tuum fuisse, & hodiernum esse. Neque aliam amplexus est opinionem *Sext. Pompejus Festus de verbor. signif.* ubi ait: *Ludi apud Romanos post centum annos fiebant, quia seculum in centum annos extendi existimant.* Quibus innumeri alii Autores eandem foventes sententiam adjungi possent, si operæ quidem pretium esset. Interea ut tot tantisque stipatus ducibus eidem insistant viæ, rationabile non minus ac tutum esse mihi persuadeo.

XIX.

Si jam porro quis quæsierit: *Cur Romani centum annorum spatium Seculo attribuerint?* Responso eum *Censorini tripertito* contentum esse posse censeo, verbis hisce concepto: Ut hunc C. annorum numerum constituerent nostri, non nihil causæ fuit: *Primum*, quod multos suorum civium ad hanc ætatem vitam producere videbant: *Deinde*, quod Etruscis, quorum prima secula centum fuere annorum, etiam heic, ut in aliis plerumque imitari voluerunt. *Præterea* fieri potest, quod refert *Varro*, quod *Dioscorides Astrologus* scripsit: *Alexandriæ*, inter eos, qui mortuos solent conservare, *hominem plus centum annis vivere non posse*, id cor humanum declarat eorum, qui integri perierint sine corporis tabe, eò, quod id multis annis pendendo, omnis ætatis incrementa & diminutiones observarint: & anniculi pendere duas drachmas, bimi quatuor, & sic per annos singulos, usque ad quinquaginta, accedere binas; ab iis centum drachmis, ab anno quinquagesimo item, decedere in unoquoque binas: ex quo perspicuum sit, centesimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius vitam posse produci. Enimvero uti *priores duæ rationes* ab experientia & exemplo desumptæ, satis validæ videntur fuisse, ad Romanos in eam de centum seculi annis sententiam

tentiam deducendos, ita tertia etiam, nugatoria licet frivolaque, apud eosdem, ceu in superstitionem aliàs quoque valde proclives, haud parum potuit valere. Accedit, quod Romani Græcos eximios centesimi numeri æstimatores imitaturi, eum non tantum quibusvis promiscue rebus conjunxerunt, uti vel ex *Persii* hisce *Sat. 5.* Versibus abunde patet:

*Varibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum.*

sed Seculo insuper suo illum ipsum, tanquam numerum maximo in pretio habitum, intulerunt.

XX.

Quid Annus fuerit secularis, optime dicto in *Tractat.* exposuisse mihi videtur *Tassinus* ambitu verborum seq. *Annus ille secularis dicitur, qui inter centum annos, quibus constat seculum, est postremus; ita ut ultimi diei sui cursu, seculo finem imponat.* Unde si de Anno primo seculari ab Urbe Romana condita, agatur, est annus ab Urbe Rom. fundata centesimus; si vero de secundo seculari anno, est ducentesimus, & sic de aliis. Si autem agatur de anno primo seculari à Ludis institutis Romæ à Valerio Poplicola, est annus centesimus à prima Lustrorum vel Ludorum institutione, & sic de aliis cum proportione dicendum erit. Ex quibus manifestum evadit, Ludos seculares Romanos fuisse illos, qui seculo exeunte, anno seculari celebrabantur: licet subinde nondum elapso seculo, sed annis pluribus ante secularem annum, aut pluribus post illum decursum, ex causis quibusdam editi fuisse deprehendantur, uti ex chronologia istorum Ludorum collectu haud est difficile.

XXI.

Ludi seculares apud Romanos erant oppido insignes clarique, à Valerio Poplicola, ob exactos Reges, in honorem Apollinis & Dianæ instituti, & centesimo quoque anno, pro salute atque æternitate Imperii Romani, per triduum & trinoctium, sub tempus messis, vario sacrificiorum & solennitatum apparatu, missilium sparsione, conviviorum agitatione, populi acclamatione, omnisque generis lætitiæ declaratione, Romæ celebrati, præcone per compita assa voce clamante; Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neque visurus est. De ludorum horum origine & antiquitate, nec non aliis quibusvis eosdem illustrantibus rebus videri

queunt *Valerius Max. lib. 2. cap. 4. Rosin. & Dempster. Antiqq. Rom. lib. 5. c. 21. Zosimus lib. 2. Histor. nova, Varro, Stephan. Vinand. Pighius Annal. Rom. Onuphrius Panvin. in commentar. de lud. secular. & omnium copiosissimè Petr. Tassinus Soc. Jes. de Anno seculari & ludis secularibus Romanorum.*

XXII.

Numi seculares, h. e. numi ludis secularibus diversorum Imperatorum Roman. in populum jactati, adhuc hodie in Numismatothecis asservantur quamplurimi, quorum expositionem atque figuras æri incisas exhibuerunt *Adolph. Occo* in Numismat. *Jacob. Strada* in Thesaur. Numism. *Ezechiel Spanhemius* de præstant. & usu numismat. differt. 9. *Jacobus Oiselinus* in Thesaur. Numism. Antiqq. De Augusti numis secularibus *Justus* egit *Lipsius* Comment. in Tacit. lib. II. Plurimorum etiam Augusti numorum secularium meminit *Levinus Torrentius* ad Svetonii Augustum. *Eorundem & Domitiani, & Philipporum* mentionem pariter fecit *Onuphrius Panvinus* in lib. de lud. sec. *Jacob. Pamelius* in vita Tertulliani numum ludorum secularium Septimii Severi produxit. *Cæsar Baronius* in Annal. ad A. C. 249. duos retulit numos secularium ludorum Imperatorum Philipporum. Sicco jam pede prætereo numos seculares alios ab aliis pluribus Autoribus commemoratos æque ac illustratos.

XXIII.

Carmen seculare, ita dictum ab anno seculi cujuslibet ultimo, quo ipso ludi nominis ejusdem edebantur, à præstantissimis seculi illius Poëtis, jussu Imperatorum, sapphico plerumq; genere, & sublimiore dicendi caractere, artificiose elaboratum, laudes in se continebat Deorum Apollinis & Dianæ, atque vota tum pro perpetua Urbis non minus ac Imperii Romani flore & incolumitate, tum pro famis, belli, pestis, & quarumcunque calamitatum aversione fundebat, triduo & trinoctio, varios inter musicos concentus, de memoria recitabatur. Carmina autem hujusmodi secularia apud Romanos non tantum, sed Græcos quoque fuere usitatissima. Et quidem *Latina*, præter *Horatiana* hæc tria; (1) *post lib. Epod. præfixo carminis secularis titulo*, (2) *lib. 1. od. 21.* (3) *lib. 4. od. 6.* nulla alia hodie apud ullum Poëtam antiquum licet reperire: quod enim apud *Catullum* inscribitur *carmen seculare*, revera tale non est, quippe quem (ut alia nunc taceam,) eo tempore haud

haud vixisse constat, quo ludi seculares celebrati sunt, hincq; occasione absente, verum carmen seculare minime compositum esse potuit. Præterea *græca* quoq; *carmina secularia* fuisse elaborata, certius est, quam ut in dubium vocari queat: quis enim Romanos, eos præcipue, qui utraq; in lingua, tam sua, quam græca, bene versati erant, officio suo, in componendis græcis carminibus secularibus, credat defuisse? Accedit quod *Zosimus* planum id etiam fecerit *lib. 2. Hist. nova, Die*, inquit, *tertio in Apollinis ade Palatina, ter novem illustres pueri cum totidem virginibus, omnes utrinq; florentes, h. e. qui ambos parentes superstites habent, Hymnos & Paanes Græca Romanaq; lingua canunt; quibus subjecta Romanis urbes servantur. Plura de Carminibus seculari videbis apud Jul. Cæs. Scaligerum, Anton. Minturnum, Jacob. Pontanum, Alexandr. Donatum, Jacob. Masenium, & quam maxime Petr. Tassinum.*

XXIV.

Secularia haud secius Jobelea, ac Festa, Carmina, Orationes, Conciones & Numismata, in Christiana hodie Rep. haberi, institui, atq; elaborari, notius est, quam ut prolixius exponatur. Et quidem *Bonifacius VIII.* P. R. primus solennitatem jobeleiam A. C. 1300. instituens, eam centesimo quoq; anno renovari jussit, quod tamen temporis spatium, ceu nimis amplum, deinceps coarctatum, & ad 25. annos reductum fuit. Quod autem ad *Secularia Protestantium Jobelea* attinet, ea à Principibus indicta pariter atq; celebrata esse quamplurima, pervulgatum est: Sanè quæ in memoriam exhibitæ Confessionis Augustanæ, Reformationis peractæ Ecclesiasticæ, Formulæ Concordiæ publicatæ, Academiarum erectarum, Gymnasiorum introductorum, Ecclesiarum fundatarum, & aliarum rerum notabiliorum Jobelea passim sunt agitata, historiarum non obscure loquuntur monumenta. Interea plura de Pontificiorum æque ac Protestantium Jobeleis secularibus observata suggerent, *Just. Rycquius* Syntagm. de anno seculari Jubilæo, *Raph. Argentinus* de Anno Jub. *Cæs. Alucius* in Summar. rerum quas oportet scire, ut possimus adipisci Jubilæum Anni Sancti. *Rutil. Benzonius* de Ann. Jub. *Jo. Faës* de Jubileis, *Theod. Thummus* in Disp. de Jubilæo Anti-Christiano, *Jo. Petr. Ludovici* in discursu Jubilæo seculari, *Godofred. Ludovici* in Programm. de Jubileis secularibus: *Idem* de Ejulæo seculari. *G. von der Lirb* in Disp. Inaug. de Jubil. Pontif. *Autor des fliegenden Passagiers in der vierten Promenade,*

p. 110. *Disp. mea*, una de Jobeleo Pontificio, altera de Malleolo Jobeleio, & tertia de Jobeleo Lutherano: Denique de Septimo Decimo à Christo nato Orbis Christiani Jubilæo Seculari *Doct. Sauerbrei* / Director quondam Gymn. Coburg. nunc Antistes maxime Reverendus Eccles. Erford. in Programm. eodem de argumento Anno 1700. Coburgi typis excuso. *C. Juncker Vir. Luther. Numis illustrat. §. 77. seqq.* Denique *Numismatum secularium* facta paulo ante mentione, commodum mihi in mentem venit *Dodecadistichon* Morhofianum, *Orationi Majoragii de Auro Kilonii recuse* ad calcem subjectum, hac quidem verborum structura: In Nummum Aureum eximiæ magnitudinis, in memoriam exhibitæ Augustanæ Confess. à Sereniss. & Potentiss. Electore *Job. Georgio I.* signatum, hac inscriptione: *Confess. Luther. Aug. exhibitæ Seculum.* à Viro Nobiliss. & Ampliss. *Frid. Bened. Carpzovio* oblatum, in *Orationis nostræ de Auro ἀντίσωρον.*

*Quis novus hic loculis hospes successit & arcis
Aureus, & Seclii Nummus imago sacri?
Carpzovi hac mihi chara manus pro laudibus Auri
Præmia, pro verbis splendida dona, dedit.
Hunc (reor) ipsa Charis procudit, & aurea Nummum
Eusebie radiis imbuit ipsa suis.
Quæ quondam fulvo prodibat purior Auro
Religio auspiciis, maxime Saxo, tuis,
Tot spectata annis, spectatur ut ignibus Aurum:
Hanc Auro signas, posthume Saxo, tuo;
Testis ut hic magni Nummus moliminis extet,
Et memor illa legat nunc monumenta nepos.
Ordeant illi, Seclio vertente, Triumphi
Semper, & ille sacris aureus extet honos!
Hæc ó Ense sacro semper tueatur, & Auro,
Ensigner hæc signet Secula Saxo suo!
At tu, qui nostras ditasti munere Musas,
Quo tua, Carpzovi, carmine dona feram?
Nam, Tu, qui dono pius & qui largus eodem es,
Auro compensas rimula verba sacro.
Quando igitur fulvum pro illis appenditur Aurum,
Nunc dicam, nugæ pondus habere meas.*

Teque,

*Teque, tuo qui, Carpzovi, magis anticus auro es,
Inferre in loculos Aurea Secla meos.
Dan. Georg. Morhofius.*

XXV.

Jesuitica Jubilæa secularia quanta cum pompa & magnificentiâ superioris seculi anno *XLmo* hinc inde locorum fuerint celebrata; libri eorum historiam tradentes satis superq; declarant, *Rationes* autem cur *Societas Jesu* annum suum centesimum celebrem esse voluerit, *Tassinus* ipse Jesuita verbis exposuit amplissimis sane ac Pontificio fermento turgentissimis in *Opusc. de Veterum Romanor. Anno Seculari Part. 2. cap. ult.* quæ prolixiora licet solennitatem tamen illam Jesuiticam apprime illustrantia, non pigebit inde transfumta; hæc adducere. Nimirum prævidebam (ait dicto in *Opusc. Autor*) ex hoc opere intellecturos homines eruditos, ab Societate Jesu sapientissimè secularem suum annum celebrari, eo apparatu, quo deceret religiosos, aut illustrissimos eminentissimosque viros, qui in eam sumtus Romæ, aliisque in locis, in quibus agit Societas, nunquam tacenda benevolentia ac liberalitate suppeditarent. Si enim Imperatores illi Romani tot fecerunt sumtus anno seculari, in ludis, theatris, certaminibus, sacrificiis, pompis, ut Diis inferis, Plutoni & Proserpinæ aliisque commenticiis nominibus honorem exhiberent, eorum sibi demerent favorem, quasi nova beneficia ab iis impetrare possent; deniq; ut pro acceptis, quod falso sibi imaginabantur, gratias referrent: quanto melius Societas Jesu Deo Opt. Max. Virgini Mariæ, Beatis Mentibus, Societatis universæ singularumq; provinciarum ac domorum Tutelaribus; denique post illos auctori suo *S. Ignatio* anno suo seculari, cultum venerationemque peculiarem censuit esse tribuendam? Enimverò quis non crederet Societatem reprehensione dignissimam, si cum tantis honoribus cæcæ illam Gentilium superstitionem, confictos Deos, immania Numina, affecisse cognosceret; illam in deferendo honore, Deo vero, Virgini Matri, Tutelaribus Angelis, atque suo Parenti *Ignatio*, animadverteret partibus suis omnino defuisse. Certe fuisset hoc summæ in eos ingratitude & exaggeratæ focordiæ, in rebus ad pietatem spectantibus; quæ duo semper à se longissime amoliri conata est Societas, atque decuit eam Anno suo Seculari omni ope operaque contendere, ne ea vitia lon-

ge turpissima in se ullum locum invenirent. Receperat illa quidem ab eis tam multa, tam singularia beneficia, ut non posset ista celebritate ac cultu eorum gratiam non aucupari, opem implorare, atque pro novis impetrandis viam non inire, quam credebat facilissimam. Quid? Duumviri, aliique hujusmodi profani Mystræ, ad secularia sacra expiationibus corporum, quæ nullius erant momenti, populum olim præparassent, lectisternia deorum, supplicationes, vota, precesque publicas instituisent, & *Societas Jesu seculari suo anno*, majori quam unquam alias diligentia, hominum animos sacra exhomologesi (quæ vera est scelerum expiatio) non comparasset ad augustissima sacrificia corporis & sanguinis Christi, ad lectisternium illud sacrum, in quo non tam Diis apponuntur epulæ, quam Deus Homo mortalibus cedit in cibum? non agitasset sacras per vigilationes in procuratione salutis animarum? non indixisset supplicationes, excitandæ omnium pietati? non nuncupasset vota? non instituisset publicas preces, pro avertendis horum temporum calamitatibus? promerendis toti Reip. Christianæ divinis muneribus? Absit hoc ab ejus pietate & ingenti alienæ salutis procurandæ desiderio, quæ omnem Gentilium in Deos suos charitatem religionemque tantum superant, ut hæc præ illis merum gelu futurum fuisse, jure merito censeantur. Hinc viri sapientes absurdum fuisse agnoscent, si *Societas Jesu* in suis templis ornatus inusitatos, insolitos concentus musicos non adhibuisset: si omisisset Orationes in laudem S. Ignatii in suggestibus, adhortationes ad studium virtutis, vitij fugam omnibus in locis: si vario Poëmatum genere, Spectaculorum apparatu, Scholarum atria, Collegiorum ac Templorum vestibula non exornasset: si Tragoedias, aut Comedias in theatra non induxisset: si denique libros omnis generis non dedisset in lucem: cum compertum fuisset, veteres Romanos anno seculari omnia Urbis suæ fana exornasse, Deorum pulvinaribus advolutos fuisse, latina & græca lingua Poëmata panxisse, ut Deorum laudes concinerentur. Igitur ex hoc opere partibus illam suis non defuisse deprehendetur, cum undique nunciabitur, atque ex editis libris cognoscetur, *quam Anno suo seculari Societas Jesu molita fuerit*, ad bonum animorum & majorem Dei gloriam: ea enim omnia malo lectores meos ab his petere, quam ea recensendo infantiam meam magis magisque demonstrare. *Hæc d. l. Tassinus*, in cujus quidem etiam *Opusc. Partis I. Appendice* promissum est

Nume-

Numerale Anni primi secularis Societatis Jesu, sive, Carmen seculare Jesu & Mariæ alternis cantatum à choro virorum probitate atque eruditione illustrium Societatis Jesu, A. C. 1640. Societatis ejusdem seculari, attamen Carmen hocce cur in *Job. Georg. Graevii Thesaurò Antiq. Rom. Tom. VII. in Opere Tassini* omissum sit, hariolari nequeo, nisi forte ex incuria Typographorum id contigisse, quis dixerit, uti plura etiam alia in aliis Opusculis eximio alias illo frugiq; in Thesaurò omissa esse, nonnulli hæctenus mecum conquesti sunt. Ampliorem autem notitiam de *secularibus Jesuiticis* expetens, evolvere potest *P. Sidronii Hofsche lib. 1. Imag. Seculi Societatis Jesu.*

XXVI.

Quæ hac nostra ætate circa *Seculi post Christ. Nat. XVII. mi* significatum quosdam inter agitata est disputatiuncula, uti frictò vix cicere digna merito quibusdam videtur, ita ab excellenti quodam Theologiæ Doctore in lib. *Journal des Sçavans* ventilatam esse, multi mecum mirantur. Interea num forsan inde, vel aliunde occasio arrepta fuerit Scripti cujusdam germanici de eodem hoc argumento edendi, non liquet: Scripti titulus est iste: *Gründlich und genaue Untersuchung von dem Anfang des herannahenden Jahr-hunderts / samt beygefügter Auflösung dieser jetzigen Zeit schon zum öfftern vorgefallenen Streit-Frage: Ob nemlich 1700. oder 1701. für das erste Jahr des künfftigen Seculi zu halten seye? Gedruckt im Jahr 1699. in 4.* Præterquam vero quod *Seculum non ex centum annis inchoatis, currentibus, & sese mutuo excipientibus, sed ex penitus completis, terminatis & consummatis componitur, profecto ope etiam distinctiuncularum quarundam tollere in proclivi fuerit elicita ex hac quæstione quocunque modo dubiola: Distinguendum nempe est inter considerationem seculi naturalem & civilem: sive Arithmeticam & Politicam: sive Mathematicam & Ecclesiasticam: sive Inchoativam & Consummativam: sive Ordinalem & Cardinalem: sive Continuativam & Comprehensiveam: sive Computativam & Enunciativam: sive Anticipativam & Complexivam &c.* Consuli tamen ad pleniorum liticulæ hujus & cognitionem & decisionem possunt, paulo ante citatum Scriptum germanicum, *Wilh. Ernst Tenzels Discours von Erfindung der löbl. Buch-drucker-Kunst in Teutschland / und ihres anscheinenden fünfften Jubel-Jahrs: Jul. Conrad. Rüdemanns Gedanken vom Ende des gegen-*

gegenwärtigen und Anfang des zukünftigen Seculi. G. Z. Viertes
 Macquet der auffgefangenen Briefe. It. Eurpöischer Staats-
 Cansley Pars IV. Pluresque Autores alii. Ceterum oppido egre-
 gia, congrua, concinna & controversiæ hætenus agitata maxime
 accommodata esse arbitror, quæ celeberrimus *Sturmius* Collega
 Compaterque noster plurimum colendus, in Programmate V, Phi-
 losophiæ Candidatorum ultimo superioris sæculi anno, tali verbo,
 rum ordine proposuit: *Currit utiq; modo Mens ipsa sibi constet ver-
 tiginosi Seculi, quod ultimum à primo, initium à fine non amplius novit
 discernere. Currit, inquam, (num enim de hoc etiam disputabimus?)
 Annus à Christo Nato, secundum receptam numerationem, post mille,
 sexcentos, nonaginta novem plenos, & ad ultimum usq; momentum
 exactos. Currit (iterum inquam) unus nunc Septingentesimus ad me-
 dietatem circiter expletus. Credat fortean aliquis, conciliari hinc ima-
 ginario quodam Syncretismo posse utraq; adversa fronte pugnantes sen-
 tentias, hoc ipso, dicens, mense finiente finiri Seculum XVIIImum, & si-
 mul inchoari XVIIIum! Sed quis unquam fando audivit, aut inchoari
 Seculum uno Anni dimidio, aut terminari? Anne vero minus inconveni-
 ens erit concipere Seculum, h. e. Centum Annorum completorum tempus,
 quod incipiat ab alio quam primo, & finiatur alio quam centesimo?
 Desinamus ergo imposterum mirari, Annum nonum ac nonagesimum esse
 centesimum, centesimum verò heteroclitico seculo esse primum: Desinamus
 mirari, quod nullius amplius sit hominum consensus, nisi in sola dissen-
 tiendi voluntate. Ipsa prima principia nunc disputantur, ipsa nume-
 randi initia! posteaquam presertim nimium acutus *Aristoteles* stupi-
 dum adeo *Thracum* genus ausus est nobis obrudere, quod numerando,
 ultra quatuor, ingenio eniti haud valuerit.*

XXVII.

*Seculi aurei, sive Ætatis aureæ nomine, prima illa primorum
 Parentum nostrorum tempora fuisse insignita, omnibus fere no-
 tum esse reor: Quantum autem felicitatis Seculum illud habuerit,
 ex Majoragio non minus ac Morbosio in Orat. de Auro, satis perspi-
 cuum evadit; quorum Alter: Audivistis, ait, ejus temporis ho-
 mines toto vitæ suæ curriculo, non, ut nos, in plurimis miseriis
 & calamitatibus, sed tanquam Deos immortales, vitam omnem
 suam in summa animi tranquillitate degere solitos, ac non solum
 nulla rerum necessariarum oppressos penuria, verum etiam in ma-
 xima rerum omnium copia atque abundantia fuisse, nullam un-
 quam*

quam curam, nullum laborem, nullas ærummas, nullam denique
 senectutem, pertulisse: quicquid gaudii lætitiæq; dici aut excogi-
 tari potest, illis semper adfuisse, & cum hac tam felici, tamq; bea-
 ta vita, longo tempore floruisse, dulci tandem ac suavi fomno
 domitos vitæ suæ diem solitos fuisse claudere. Quid illa felicitate
 beatius, quam nulla unquam tristitia diminuit? quid fortuna-
 tius, quam ne mortem quidem sentire venientem, omnium or-
 dinum mortalibus destinatam? O fortunatos nimium homines,
 si bona sua cognovissent! Nam posteaquam auro non contenti,
 quasi majorem possent efficere felicitatem suam, argentum, & æs,
 & ferrum effodere cœperunt, heu calamitosam & miseram for-
 tem! ab illa tanta beatitudine deciderunt. *Alter* differit h. m. Ma-
 jores nostri quo propius ab ortu & divina cognatione abfuerunt,
 eo magis auro addicti fuerunt; ut & tota illa, qua viverent, *atq;
 aurea* diceretur. Nam cum ea vitæ innocentia essent, ut ad fami-
 liarem conversationem Deus ipse admittere non dedignaretur:
 Aurum vero non aliam ob causam, quam ob excellentiam, divi-
 nasq; ejus virtutes, amarent: non immeritò viri sapientissimi, cœ-
 lesti, quod ex auro paratur, pharmaco, vitam à morbis immunem,
 & ad tot secula propagatam, duxisse, suspicati sunt. Quæ si vera
 sunt, ut multi nobis persuadent, primo, si ab humana mente dis-
 cesseris, loco reponendum aurum, & post divina, præ ceteris a-
 mandum, nobisq; in eo colligendo ac cognoscendo, omni tem-
 pore, omni conatu & spiritu, laborandum est. Quibus addere
 lubet ea, quæ *Cass. Barbius Animadv. in Claudian. Panegy. vers. 122.*
*seq. attulit hac verborum serie: Aurea atas naturali equitate vitam
 colens, ordine ingenuo, Hesioidi, Ovidii, Arati, Virgilii, Theocriti,
 aliorumq; carminibus celebris. Sequioribus temporibus, Fabium Picto-
 rem de hoc ævo scripsisse sœxerunt, vel ideo male fidei, quod Regium in
 id Imperium ponat. Memorabilia tamen sunt verba, & procul dubio
 melioris alicujus Indigeri exscripta. Ea, inquit, ætate nulla erat Mo-
 narchia, quia mortalium pectoribus nondum hæserat ulla regnandi cupi-
 ditas. Principes, quia justi erant, & religionibus dediti, jure habiti
 Dii & diviti: non enim arbitria illorum ab æquo, vel populus à jure inua-
 to discedebant. Nullo tunc vindice, aut metu, sed sponte sua retinebant
 Fidem & Rectum. Pudor ipse regebat populos, & jus Principes; Domus
 illis non extructa vel ornata, luxuriæq; insignes erant & splendide, sed
 vel cryptæ, vel viminum tuguria, & cava arborum ligna erant.* *Victum*
 D *sponte*

sponte nascentia præbebant, aut in diem vitus querebatur venatu. Bella tunc non ignota modo, sed nec cogitata in mentem venerant. Suo interea sensu abundare sinimus *Becmanum in Notit. Dign. Illustr. dissert. 1. cap. 1. §. 3.* ita de Aureo Seculo commentantem: Comparatus nostrorum temporum cum primis seculis Status, nihil prærogativæ istis concedit. Si enim *Naturalem Statum* spectes, h. e. quo vivimus & conservamur, *Veteres incommodissime egerunt. Vitus eorum erant Radices, & si Ovidium audimus, Glandes; sic nempe de ætate aurea sua loquitur: Homines cibus sua sponte natis contentos fuisse, talesq; comedisse Fraga, Corna, Mora, & quæ deciderant patula Jovis arbore Glandes. Amictus loco habuerunt pelles ferarum vel pecudum; his enim ipse Deus post lapsum donavit primos homines; & Habitacula erant speluncæ, à quibus jam ipsæ fere Bestiæ abhorrent: Ut proinde Ferrea potius quam Aurea fuerint Tempora; Ferreum enim, si est asperius vivendi genus, Ferrea certe fuerunt, quæ tot commoditatibus, quibus nunc affluimus, caruerunt. De Statu Morali verò suorum temporum, jam tum Seneca: Erras, mi Lucili, si existimas, nostri seculi esse vitium luxuriam & negligentiam boni moris & alia, quæ objicit suis quisq; temporibus. Hominum sunt ista, non Temporum: Nullæ ætas vacavit à culpa; & si æstimare licentiam cujusq; seculi incipias, pudet dicere, nunquam apertius, quam coram Catone peccatum est, &c. Ep. 97. qua tota probat; & nunc, & olim fuisse malos. Neq; aliud, extra idem, testantur Inobedientia Adami, Invidia & mox secutum homicidium Caini, Scortationes Filiorum Dei cum Filiabus Hominum, iterum, Homicidium Lamechi, Ebrietas Noæ, Incestus Loti, Feritas Nimrodi, & sim. Conferatur Casp. Dornavius in Parallelis Morum Seculi, seu, Diss. qua probat, vitia nostræ tempestatis prisca item ævi fuisse. Item Doctissimus, sed satyrico scribendi, aliosve insectandi genere famosus Kollenhagen/ Append. warhaffter Lügen/ cap. 20. Ob jemals eine guldene Zeit gewesen? ubi inter alia: Zu Adams Zeiten war sie nicht/ dann sein Acker trug Disteln und Dornen. Er musste in seinem Schaaf-Pelze sich mit Kummer drauf nehren/ und im Schweiß seines Angesichts sein Brod essen/ bis er wieder zur Erden ward/ von der er genommen war. Es verachtete auch Cain Gottes und der Eltern Warnung/ und schlug seinen Bruder todt/ lieff in ein ander Land/ und verfolgte mit seinen Nachkommen seiner Brüder Kinder unaufhörlich/ bis Gott*

Gott alle Menschen auf Erden mit der Sündfluth ersäuftte / und allein 8. Personen in der Arche überblieben. Viel weniger war das Aureum Seculum zu der Patriarchen Zeit / denen ihre Nahrung Blut-sauer ward / und immer ein Bruder den andern verfolgete/ und die Eltern tode marterte. Noch weniger war es bey den Israelitern in der Wüsten/ und im gelobten Lande. &c.

XXVIII.

Quatuor ab exordio conditi orbis Secula, sive Ætates Poëtæ cum Græci, tum Latini, describentes, ea ad quatuor accommodarunt genera metallorum, *Aurum* nempe, *Argentum*, *Æs* & *Ferrum*, propter morum quidem simpliciorum de seculo in seculum corruptionem, & ~~corruptionem~~ in depravatiores mutationem, lapsum ac ruinam, ceu videre est apud *Ovid. Metamorph. lib. 1. vers. 89. seqq.*

*Aurea prima sata est Ætas, qua, vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumq; colebat, &c.
Postquam, Saturno tenebrosa in Tartara misso,
Sub Jove mundus erat; subiit Argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior ære. &c.
Tertia post illas successit Ænea proles,
Sævior ingenis, & ad horrida promptior arma;
Nec scelera tamen. De duro est ultima Ferro.*

Nimirum ex variis hominum moribus *quatuor secula* seu ætates nonnullis factæ videntur, quibus, pro morum qualitate, à Metallis nomina imposita fuere. *Prima* namque *Aurea* fuit appellata, quod optimis moribus illo tempore, quo Saturnus regnavit, homines floruerint. *Secunda Argentea*, quod, quo tempore cœpit regnare Jupiter, in vitia homines inclinare cœperunt. *Tertia Ærea*, quam bella & variæ calamitates occupârunt. *Quarta Ferrea*, quod in ea à nullo crudelitatis, malitiæ & nequitæ genere se homines abstinerint. Inquisitione autem in primam commenti hujus Poëtici originem instituta, arcessendam eam esse arbitraretur ex Statua illa magna, quam in somno sibi oblatam conspexerat Rex Nebucadnezar apud Danielelem Proph. eam quippe ex quatuor hujusmodi metallorum generibus conflata fuisse constat. De cetero paucas in Sacris Literis historias licebit reperire, quas non Gentiles, inque iis præcipue Poëtæ, æmulanter, ceu *Tertullianus* alicubi loquitur, exprimere affectarint. Conf. *Joh. Fabricii Dissert. de Cacozelia Gentilium, quæ extat in Joh. Mich. Dilberri Dissp. Academ. Tom. II. pag. 166.*

Felicitas Seculi nescio an ullos apud alios orbis populos majore fuerit in pretio, quam apud Romanos: Sane solliciti ante omnia Cæsares eorum erant, ut Felicitas suorum temporum, non uno acclamationum, votorum, aut monumentorum genere, ad posteritatem propagaretur. *Ovidio* enim *Trist. lib. 1. eleg. 2.* canente:

*Hoc duce si dixi Felicia Secula, proque
Casare thura pius, Caesaribusque dedi.*

Hinc oppido frequentes etiam illæ in præclaris eorundem Numis Inscriptiones: Veluti in *Numo Caracalla*, ubi verba FELICITAS SÆCVLI, & *Severus Imp.* sedens inter filios *Caracallam* & *Getam*, exhibentur, quos his artibus Senatui Populoq; Rom. commendare voluerat, ejus recordationem gratam sibi suisq; fore, *Caracalla* existimabat, speciatim autem numo isthoc demonstratur, à Principum liberalitate populorum oriri felicitatem. Sic in numo quodam *Getæ* juxta inscriptionem FELICITAS SÆCVLI, conspicitur *Severus Imp.* sedens in theatro, & congiarium Populo Rom. largiens, coram filiis *Caracalla* & *Geta*. Cùm enim Imperium Rom. summa frueretur pace, *Severus Caracallam* iterum, *Getam* primùm Consules fecit, in ejus honoris memoriam, & liberaliter egisse, & Numum cudisse, verisimile est. De reliquo obiter notari potest, inscriptionem duarum miliarum vocum non eodem semper ordine collocatam reperiri, nunc enim *Felicitas Seculi*, nunc *Sæculi Felicitas* occurrit: e. g. in Numo *Trajani Decii* inscriptio est, FELICITAS SÆCVLI SC. Felicitate representatâ figurâ muliebri stolata, sinistra Cornucopiæ, & hastam terræ impositam, in cujus apice duo serpentes invicem involuti, & per eam divisi, ut in caduceo cernuntur, dextra tenente. Quod hasta sive caduceus terræ innitatur; Felicitatis constantiam & permanentiam designare videtur. In Numo autem *Gordiani III.* inscriptio est, SÆCVLI FELICITAS: Atque ipse Imperator cernitur cum Laurea in capite, & paludatus, dextra hastam, sinistra globum præferens, *Seculi Felicitatem* sub ejus Imperio per Orbem Romanum designans. Uti vero *Seculi, vel Temporum Felicitatem, Laudem, Gloriam, Famam, Æquitatem,* apud *Symmachum*, aliosq; eorum temporum Scriptores, in Literis ad Augustos exaratis passim novimus extolli, ita *Infelicitatem,* five, uti *Tacitus Annal. l. 14. c. 48.* eam effert, *Infamiam Temporum* haud infrequens est, notari, culpari, atque reprehendi.

XXX. Tra-

Tralatitium non minus, ac veritati historiciæ quam maxime congruum est, antiquos apud Scriptores per *Seculum Novum, Seculum* intelligi *Milliare*, quod *millesimo post Romam conditam anno,* festiva ludorum secularium solennitate, in memoriam Natalis ejus hoc ipso tempore recurrentis, celebrabatur: Ejusq; rei vestigia clarissima adhuc hodie in Numis quibusdam *Philipporum* conservata licet reperire. Sub iis enim, teste *Spanhemio de præst. & us. num. diss. 9. pag. 853.* occurrit inter alios Numos unus, in quo *Secularia Sacra*, septem nempe figuræ ante Aram sacra facientes exhibentur, cum inscript. SÆCVLVM NOVVM, quo *Milliare* nempe *Seculum* ab Urbe condita, designatur, & quod *veonyñ* *Blov* vocarunt Græci, ut *Eusebius de Vita Constant. l. 3. c. 1.* apud quem per *Seculum Novum* easdem voces expressit *Cl. Valesius; Symmachus lib. 1. ep. 7. Novi seculi fata recitantur.* Unde similiter in quodam *Gratiani* numo GLORIA NOVI SÆCVLI legitur. Ceterum *Jacob. Oiselius in Thesaur. Numism. Antiqq. tab. CI.* tres *Philipporum* produxit numos: in quorum primo est inscr. MILIARIVM SÆCVLVM, cerniturque *Philippus junior* togatus stans, & virgâ, quam dextra tenet, aditum Templi demonstrans. *Baronius in Anal. Eccl.* putat, hoc schemate designari, quasi cum novo seculo, novam ille religionem servandam proponeret, existimatque, *Philippos, patrem & filium,* cultui Religionis Christianæ addictos fuisse, quod tamen maxime adhuc controversum est; licet celeb. *Wetstenius in præf. ante Origenis Dialog. contra Marcionistas,* novis quibusdam iisdemq; valde stringentibus argumentis affirmativam conatus sit propugnare. Præterea in eodem Numo cernitur *Columna* cum inscr. COS. II. qua indicatur, *Philippo* hoc II. Consule Ludos seculares fuisse celebratos. Quemadmodum autem in hoc numo *Milliarium Seculum,* ita in aliis duobus *Philippi Parris* legitur: SÆCVLVM NOVVM: ubi simul expressum est *Templum quoddam cum sex columnis,* in quorum altero *Figura sedens togata cum hasta* cernitur, Imperatorem ipsum forte designans; à quo *Seculo Novo,* post mille annorum, ab Urbe condita, curriculum, Templum erectum. Per *Seculum* enim *Novum* denotari *Milliare Seculum* ab Urbe condita jam antea traditum est. Aliàs verò *novorum* quoq; *seculorum* mentionem fieri haud ignoro apud *Papin. Statiuum lib. 1. Silv. 4. vers. 17.*

Nec tantum induerint fati nova secula crimen.

D 3

Ad

Ad quem loc. *Casp. Barth. in Animadv. pag. 116.* Nova secula, inquit, i. e. *originem capientia* à Ludis secularibus Domitiani, de quibus *Suetonius cap. 4.*

XXXI.

Quicumq; *Seculum ex mille annis vulgo constituisse* opinantur, nã in genuinam Seculi significationem oppido sunt injurii: Quod enim *Miliarium Seculum*, de quo modo dictum est, attinet, id licet mille annis absolvebatur, ita ut eo celebrato, noningenti & nonaginta novem anni jam effluxisse debuerint, & millesimo anno festum illius seculare fuerit agatum; haudquaquam tamen ad ordinarium, sed extraordinarium, & nunquam aliàs à Romanis usitatum Seculi significatum est referendum. Multo minus autem ex *Plaut. Milit. Glorios. Act. 4. Sc. 2.* aliquis confecerit, Seculi spatium ordinarie mille annos comprehendisse: Ipsa Plauti verba, ut eò melius judicium formari queat, juvat heic producere: *Palæstrio* servus: Meri bellatores gignuntur, quos hic prægnantes fecit, & pueri annos octingentos vivunt. Ad quæ ancilla *Milphidippa* respondit: Væ tibi nugator. Mox *Pyrgopolinices*, Miles gloriosus, ipse ait: Quin mille annorum perpetuo vivunt, ab seculo ad seculum. Præterquam enim hæc vanè, gloriose & thraconice dicta esse quilibet perspicit, profecto hanc etiam loquendi formulam (ab seculo ad seculum) non tam mille annorum spatium, quam perpetuitatem sive æternitatem temporis designare, quasi quis germanice diceret, *von Ewigkeit in Ewigkeit* non adeo obscurum esse crediderim.

XXXII.

Quemadmodum haud est insolens, centenarium *Seculi* spatium vitæ *Hominis* circumscribi, ita mirum alicui videri possit, cur idem illud spatium, nunc *Equi*, nunc *Canis* ætate itidem exprimi à quibusdam soleat: Ita enim in *Anonymi Thesaurilla Alchimistica p. 13.* legitur, viginti septem Canum vitas Nestor superavit. *It. ibid. pag. 20.* Trium Equorum vitam Senex ille adimplevit. Sane per Canum illas vitas tria secula, & per Equorum vitam unum seculum intelligi, vel ex hisce *Alberti Magni de Mort. & Vita tract. 2.* verbis proclive fuerit colligere: *Tres vite Canis faciunt Equi vitam, & tres vite Equi faciunt vitam Hominis.*

XXXIII.

Ex *Numis Secularibus* (Secular-Münz oder Secular-Pfennig) recentioribus, qui sine dubio hinc inde locorum cusi sunt quam ele-

elegantissimi, duos duntaxat, & quidem *Noribergenses*, juvat heic producere: quorum alter *Aurens*, ducati valorem implet, atque ex ejus uno latere figura cernitur *Oviculæ*, tribus pedibus globo insistens terrestri dimidiato, cauda intra pedes posteriores divaricatos propendente, dextro autem pede anteriore in altum elevato *Labarum* tenens, cujus in medio vox expressa est PAX, eamq; circa figuram versus legitur iste: TEMPORA NOSTRA PATER DONATA PACE CORONA: ex altero latere triga *Noribergensium* conspicitur *Insignium*, quorum summitati *Columba* insidet passis alis, rostro tenens *Olivæ ramusculum*, verbis in orbem circumpositis hisce: SECVLVM NOVVM CELEBRAT RESP. NORIBERGENSIS: Alter *Argentæus* est, in cujus una parte *Leopoldus Imp. & Josephus Rex Rom.* Sellis *Curulibus* *Habituq; Romano* insidentes, ante tripodem *thuricremum*, gratias quasi acturi pro beneficiis in se divinitus collatis, adspiciuntur, ex quorum opposito *Saturnus* cernitur alatus genu dextro cernuus incumbens, & *clepsammio* disrupto ad pedes jacente, super genu sinistrum *falcem* confringens, à tergo autem *Saturni*, *Felicitas* cornu copię præferens, apparet, *Saturni* infelicitatem in perpetuam felicitatem mutatura, cum epigraphe *Virgiliana: His ego nec metas rerum, nec tempora pono.* Infra scriptis verbis hisce: LEOPOLDO ET JOSEPHO AVGG. SÆCVLARIA SACRA CELEBRANTIBVS 1700. Ex altera *Numi* parte cernitur *Saturnus* aliger *nubibus* incumbens, dextra *anguem* in anulum vel circulum complicatum sursum protendens, in cujus medio numerus XVII. expressus, seculum innuit XVIIimum, sinistra *Falcem* tenens, adscriptis supra verbis *Horatianis: Saculo festas referente luces.* Et infra positis verbis ex antiq. Num. desumptis, GLORIA SÆCVLI VIRTVS CÆSS. Marginalis Inscr. est. *Septem Saculi XVII. Imperatores ac Reges Sacri Romani Imperii, qui sunt: Rudolphus II. Matthias, Ferdinandus II. Ferdinandus III. Ferdinandus IV. Leopoldus, Josephus.*

XXXIV.

Quod *Januarius Annorum Seclii caput* vocetur, ex *Ausonii* hocce patet *Tetraſticho*:

*Hic Jani Mensis sacer est: en adspice ut Aris
Thura micent; sumant ut pia thura Lares.
Annorum Seclique caput, Natalis Honorum,
Purpureos Fastis qui numerat Proceres.*

Cur autem *Januarius* ita nominetur, ratio à quibusdam dari solet ista

ista, nempe quod veluti is primus cujuslibet Anni Mensis, ita etiam Secli exordium esse debeat, quippe quod primum annum à primo primi anni mense Seculum auspiciatur, & in ultimo ultimi anni mense ultimum annum terminat. *Secli nempe caput Janus, finisq; December.*

XXXV.

Quicumque *Triseclisenem Nestora*, à *Levio*, minus rectè *Nevio*, Poëta veteri apud *Gell. 19. 7.* duriuscule ita dictum, facere laborant *nonagenarium*, per seculum XXX. duntaxat annos interpretantes, næ oppido falli mihi videntur: præterquam enim quod ex Poëtarum carminibus liquido deducitur, *Pylone*, *Laconia* urbe, ab *Hercule* expugnata, & *Neleo* cum filiis XI. occisis, *Nestori*, qui apud *Gerenios* alebatur, superstiti, annos fratribus ademptos fuisse adjectos, profecto in *μυκροβίων* etiam numerum haudquaquam is, vel olim à Poëtis, & speciatim *Ovidio Metamorph. l. 12.* referri potuisset -- *vixi Annos bis centum: nunc tertia vivitur Aetas.* Vel hodie à Scriptoribus de Longævitate verba ferentibus, idem ille, ceu maxime longævus, commemoraretur. Ut taceam, nullam superesse rationem, ob quam, Seculi vox de *Nestore* usurpata, idem valeat ac græc. *γεωρα*, & si quod; aliqua esset, nondum tamen causa posset reddi, cur eadem per 30. & non per 25. annos, utpote quem significatum pariter obtinet, foret explicanda. Interea videtis *Homer. Iliad. 3.* *Juvenal. Sat. 10.* *Horat. 2. 9.* *Phleg. Trallianus* *ἐπὶ μικροβίων*, & *Euseb. de Preparat. Evangel. lib. 9. c. 13.*

XXVI.

Restat, ut Positionum campo, diversis literarum aquis hætenus rigato, rivi Seclorum claudantur, ne ob nimiam eorum copiam exundatione facta, limites Disputationi præfixi loco moveantur. Terminus igitur tum Chronodistichon hocce:

seCLa, & fasti, & roMANI IVbILa toLLVnt,

CLaVsVLa sIC paX est, & bene prospera LVX.

tum sequens sit versiculus:

Da mihi nosse DEVS Te, memet, Secula, Mundum!

COROLLARIA RESPONDENTIS.

- I. *Verſio Bibliorum B. D. Lutheri Germanica est authentica.*
- II. *Symbolum, quod dicitur Apostolicum, non est Apostolorum.*
- III. *Luna nunquam plus lucet, quam in Novilunio, nunquam minus, quam in Plenilunio*
- IV. *Nullum adhuc merum Plenilunium ab orbe condito apparuit.*